Constantino Hugenio Equiti
Caspar Barlaeus S. P.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni,
Hesterno die Illustrissimi Principis manibus stupenda ora=
tione parentavit vir incomparabilis Daniel Heinsius, et
invicti Herois laudes exsequutus est orator disertissimus.
Ego, quanquam me scripturiam valde, et tanto
Principe digna à me dici posse non confidam, tamen
in publico hoc augusti funeris apparatu, ἀσύμβολο-
esse nolui, et famae periculum subire malui, quam
profani silentii reus haberi. Et, ut verum fatear,
impetrare à me non potui, ut tam luculentum et
opportunum Poëtarum furoribus argumentum Musis
meis eripi sinerem. Conatus itaque fui summa tantarum
rerum fastigia perstringere, ne sine vate decederet
is Princeps, cujus virtutum bellicaeque fortitudinis vel
umbram solum nulla vatum encomia exprimere valent.
Mitto Tibi carminis istius exemplaria aliquot, quae
quibus voles, distribue. Optarem etiam Principi Aura=
ico exemplar exhiberi, cum faciles aditus, et mollia fandi
tempora esse noveris. Sed ab omni mendicitatis specie hac
mea officia aliena esse volo, nec sordidae negotiationis
spe has merces extrudo, quarum parabilis sic satis est
annona. Pro Poëmatum tuorum libro gratias Tibi ago
maximas. Eorum lectione ita afficior, ut enthusiasmo
mihi correptus videar, cum in eruditis profundisque eorum
sensibus occupor. Non scripsisti ea, Hugeni praestan-
tissime, aquae potoribus, nec iis, qui in Belgico
carmine nihil praeter rhythmos et numeros sectantur.
Ex characteribus tuis plenis reconditae eruditionis, modo
sapientiae praecepta, modo festivae oblectationis argu=
menta delibo. Quam tu lepide Medicorum ordinem,
jam, proh dolor, meum, perstringis. Quam graviter boni
concionatoris munia enarras. Sed cur quaeso nullum

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/286

mali concionatoris characterem depingis? An nullum esse
talem arbitraris? An crabrones metuis? Hoc suspicor. Vides
quantam ex humanitatis tuae fiducia libertatem conceperim,
ut etiam iocari apud te audeam. Provinciam, quam
virtutibus tuis ac meritis dignam nactus es, officiose
tibi gratulor, ~~ac~~ et maiora laudum fortunaeque incrementa
rebus tuis et animo precor. Sed ne longiore sermone
tempora tua morer, Vir clarissime, vale, et
Barlaeum patriae, tibi, tuisque addictissimum redama.
E Musaeo nostro XX. Septemb. Ao. M.DCXXV.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/286

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/286

Nobilissimo Viro
D. Constantino Hugenio
Illustrissimo Principi
Auraico à secretis

Hagam

Barlæus

n. 76. 25.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/286